



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Monitoria Directio Pro Ordinandis, Eorundemque  
Examinatoribus, animarum Curatoribus, & Religiosis  
secularium Confessariis**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agrippinae, 1663**

Magna habenda promovendorum ad Sacros Ordines ratio

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9994**



ERDINANDVS Dei  
 & Apostolica Sedis gratia  
 electus & confirmatus Sa-  
 ctae Coloniensis Ecclesie Ar-  
 chiepiscopus, S. Romani Im-  
 perii Princeps Elector, & per Italiam Ar-  
 chicancellarius, ejusdem Sedis Apostolicae Le-  
 gatus natus: Episcopus ac Princeps Pader-  
 bornensis, Leodiensis, & Monasteriensis, Ad-  
 ministrator Hildesheimensis, Berchtesgaden-  
 sis, & Stabulensis: Comes Palatinus Rheni:  
 utriusque Bavariae, Westphaliae, Angariae, &  
 Bullionis Dux: Marchio Franchimontensis,  
 Comes Pirmontensis, Loffensis, Longiensis,  
 Sternenbergensis, & Hornensis, &c. Venera-  
 bili Clero & Universis ac singulis Christi fi-  
 delibus Civitatis & Archidiecepsis Nostrae  
 Coloniensis salutem in Domino sempiter-  
 nam.

Pastoralis nostri officii cura presentis-  
 que temporis calamitas exigit, ut accura-  
 tissimus eorum delectus habeatur, quorum  
 desiderant ordinibus Ecclesiasticis initiari,

cum harum miseriarum fons & scaturigo, quibus gravissimè totus ferè Christianus Orbis premitur & afflicatur, à Ministrorum Ecclesie vitâ corruptiore & moribus alienis à nomine, statuque Clericali profu- xerit, & emanarit, quorum permulti pror- sus inhabiles sunt ad Sacrorum Ordinum functiones. Vnde mirificè nos angit & soli- citos habet, ut diligenter oberuentur ea, quæ Sacri Canones, Oecumenica Concilia, præcipuè Sacro - Sanctum Tridentinum pro Germaniæ reformatione potissimùm institu- tum, nec non Provincialia & Synodalia Coloniensia de qualitatibus promovendo- rum ad Sacros Ordines, adjecto salubri me- tu censurarum & pœnarum Ecclesiastica- rum, laudabiliter statuerunt. Sed cum multi- rudes, & eorum Canonum prorsus ignari reperiantur, ideo ne per ignorantiam tam scitu necessariorum statutorum peccaretur, hætenus initiandis paulò ante stata genera- lium ordinationum tempora, nostras præ- sentes literas ad Ecclesie nostræ Metropoli- tanae valvas affixas iterùm, iterumque pu- blica-

blicavimus, & ne exciderent, memoriam eorum reficavimus. Quò magis in culpâ sunt & acrius reprehendendi, qui toties publicatis statutis & decretis non obtemperant, sibi illud Christi dictum scientes: Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis. (a) Cujus ut rigorem & pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas evadant, quæ sequuntur, diligenter deinceps observari mandamus.

(a) LUC. 12. 47.

Ordines à quo Episcopo accipiendi.

I. **I**N primis itaque sciant omnes tam ad primam tonsuram, quàm Ecclesiasticos Ordines aspirantes, unumquemque à proprio Episcopo ordinari debere, & ab executione ordinis, quem ab alieno Episcopo sine proprii sui Antistitis consensu acceperit, esse suspensum; Vicario autem nostro in Pontificalibus Generali tam ex lege divinâ,

A 3

quàm